

quam potuisse ad Platonis notitiam per-
 uenire, quæ celebrata fuit regnante apud
 Aegyptios Ptolemæo & ut fieret infi-
 stente, annos circiter sexaginta post Pla-
 tonis mortem. In hac igitur difficultate
 perplexus Augustinus, per coniecturas e-
 greditur, opinaturque Platonem, ut in
 sua doctrina tantam seruet cum Catho-
 lica veritate concordiam, seu veterum
 fortè quibusdam libris edoctum, seu po-
 tius iuxta illud Apostolicum: Quia quod
 notū est Dei, manifestum est in illis, Deus
 enim manifestavit illis, & quæ sequuntur:
 seu (in quod magis inclinatur & multis indi-
 ciis impellitur) ut quodammodo pro ve-
 ritate consentiat, quia scilicet ille vira-
 cutissimi, & ad discendum insatiabilis in-
 genij, sicut in Aegyptias, sic & in He-
 bræas literas alicuius Interpretis collo-
 quio penetrarit. Undecunque sanè hæc
 tam virtutis amica Philosophia manauit,
 quàm Dei donum fuisse nemo dubi-
 tat, quanta sit inter illius opinionis &
 Christianorum fidem paritas, qui scire
 volet, legat ipsius Augustini Confessio-
 num librum Septimum, ubi reperiet in
 omnibus ferè quæ de Verbo Dei dicun-
 tur, à nostris Platonem consentire, præ-